

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1353

**Auteur(s) :** Geoffroy du Plessis [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1290, mars

**Lieu d'émission :** Lion-sur-Mer

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Geoffroy du Plessis, chevalier, vend et délaisse, pour 25 livres tournois, avec garantie, au chapitre de Bayeux tous les droits et redevances dont il jouit à Lion-sur-Mer, à cause d'une rente annuelle de gants, ou de son équivalent en monnaie courante, qu'il y perçoit.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° DLXXX, t. 2, p. 339-340.

## Dissertation critique

Mars 1289 est proposé par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Noverint universi, præsentes et futuri, quod, cum ego Gaufridus de Plesseio, miles, haberem jus percipiendi et perciperem annuatim, ad Nativitatem Domini, per manum Guillermi de Sancto Germano, armigeri, quasdam cyrothecas valoris trium denariorum monetæ currentis, vel tres denarios pro dictis cyrothecis, ratione medietatis cujusdam tenementi, quod de me tenebatur, situm (sic) in parrochia de Lyon, in vicecomitatu Cadomensi, item similiter, ad dictum terminum, per manum Ricardi de Sancto Germano, armigeri, quasdam cyrothecas valoris trium denariorum monetæ currentis, vel dictos tres denarios pro cyrothecis prædictis, ratione alterius medietatis dicti tenementi, quam obtinet, haberemque etiam jus et dominium tocius tenementi prædicti, usum etiam et curiam omnium hominum illud tenementum tenentium, tresdecimas et relevia eorumdem, prædicta omnia et singula, et quicquid juris et domini in dicto tenemento habebam et habere poteram, vendidi, et concessi, et penitus dimisi venerabilibus viris decano et capitulo ecclesiae Baiocensis pro viginti quinque libris Turonensibus, quas a dictis decano et capitulo proinde habui et recepi in pecunia numerata ; cessi etiam et finaliter dimisi dictis decano et capitulo annum redditum prædictum, usum et curiam, et omnia prædicta, et aliud jus quocunque, et dominium et expletamentum quæ habebam et habere poteram, quocumque casu, in dicto tenemento et in hominibus illud tenentibus, cuiuscumque conditionis existant, etiam si talia essent quæ de jure vel consuetudine specialiter deberent exprimi, quæ etiam habui pro expressis, sine reclamacione mei vel hæredum et successorum meorum super præmissis seu aliquo præmissorum de cetero facienda : ita tamen quod ego Gaufridus prædictus, pro me, et hæredibus meis, et successoribus, promitto et teneor dictis decano et capitulo dominium, usum et

curiam dicti tenementi, et omnia prædicta et singula garantizare et defendere contra omnes, pro viginti quinque libris Turonensibus antedictis, et dictos decanum et capitulum super hoc servare indemnes, vel alibi excambiare, sub pacto garantizationis prædictæ, valore ad valorem, si necesse fuerit, competenter. In cuius rei testimonium, præsentem cartam sigilli mei testimonio confirmavi. Datum anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo nono, coram parrochia de Lyon prædicta, mense marci.